



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

III. Quod clerici in domibus suis tabernas tenere, aut tabernas & laicorum
conuiuia accedere non debeant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

suas, quas notorie tenuerunt, a se prorsus non remouerint, si beneficiati fuerint, sciant se suis beneficiis statim ipso facto, absque alia priuationis sententia, auctoritate eiusdem Concilii esse priuatos; nec aliquid iuris amplius competere, aut aliquem se titulum habere in eisdem: tenerique se idcirco ad restitutionem omnium fructuum & prouentuum quos leuauerunt, seu in futurum leuabunt ex eisdem. Possuntque eorum beneficia per habentes protestatem libere aliis conferri, vel a curia etiam impetrari. Qui vero beneficiati non fuerint, sciant se auctoritate eiusdem Concilii ad habendum quæcumque ecclesiastica beneficia perpetuo inhabilitatos.

II.

*Quod clerici non debent secum tenere mulieres iuuenes
& de incontinentia suspectas.*

Et quoniam iuxta Apostolum non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali debemus abstinere, prohibemus, ne clerici in domibus suis habeant feminas iuuenes, de quibus suspicio possit merito oboriri. Qui autem seminarum famulatu carere nequuerint, tales sibi assumant, quæ propter ætatem, morumque grauitatem, aut, si fieri potest, consanguinitatem, omnem merito suspicione excludant.

III.

*Quod clerici in domibus suis tabernas tenere, aut tabernas
& laicorum conuiuia accedere non debeant.*

Inhibemus insuper, prout etiam per sacros Canones & prouincialium Conciliorum statuta prohibitum extat, ne clerici officium tabernariorum exercere presumant, & ne in suis domibus tabernas teneant, aut vinum more tabernariorum vendant. Tabernas quoque & laicorum conuiuia (quod valde honestatem dedecet clericalem, ipsorumque clericorum vilescere facit auctoritatem) clerici omnino deuitent, nisi necessitatis causa in itinere constituti.

IV.

*Quod clerici venationi & ludo alearum & taxillorum
infistere non debent.*

Venationi quoque cum canibus, nec non aucupatio-